


Rozprawy
do panowania Jana Kazimierza
króla polskiego
odnoszące się

Od Bartynows. za 5 złt.

Carolus Gustavus 17 *r)* S. R. M. Sueciae binae literae, priores ad S. R. M. Christ. et posteriores ad Gen. Ordines foed. Belgii, contra causas expeditionis in Zelandiam contra reg. Daniae. b. m. i r. (k. n. l. 4)

18 *s)* Resurrectio Poloniae auxilio aquilae. b. m. 1658. (k. n. l. 2)

Paulli Jacob Henrik 19 *t)* Epistola amici ad amicum de causis renascentium dissidiorum Sueco-Danicorum. Hamburgi 1658. (str. 10)

20 *u)* Brevis discussio querelarum, quae per regis christ. legatos et internuntios contra augustiss. Imp. Ferdinandum III. propositae sunt. b. m. 1657. (str. 20)

Frischmañ Johann 21 *v)* Labores electorii sive solennia electionis et consecrationis. b. m. 1658. (str. 30)

22 *y)* S. R. M. Sueciae commissariorum responsum ad literas legatorum electoralium Brandeburgicorum. b. m. 1659. (k. n. l. 24)

Frischmañ Johañ 23. *z)* Censura censurae in collegium electorale amicae. b. m. 1658. (str. 44)

24 *aa)* Biorenklou Math., Memoriale ad eminentiss. sereniss. S. R. I. electores. b. m. 1658. (str. 32)

25 *bb)* Peyrer Isa. Epistola ad Philotimum, qua exponit rationes propter quas ejuraverit sectam Calvini et librum de Praeadamitis quem ediderat. Francofurti 1658. (str. 36)

26 *cc)* Retz de Joan. Franc. Paul. de Gondi Omnibus episcopis, presbyteris et universis filiis ecclesiae. b. m. 1660. (str. 28)

Frischmañ Johañ 27 *dd)* Animorum in Europa et vicina Asia motus de Suecici belli motu in Polonia. Upsaliae 1656. (str. 75)

28 *ee)* Gabriis Luc. de. Injustitia armorum Suecicorum in Polonos responsione apologetica ad epist. Cyriaci Thrasymachi ad Andr. Nicanorem data, nec non ad brevem et preliminarem enumerationem causarum, ob quas Carolus Gustavus R. Suec. coactus est Reg. Pol. bello adoriri. b. m. 1657. (str. 60)

29. *ff)* Elogium funebre Ser. Caroli Gustavi R. Suec. Gothenburgi in Suecia Februario mense a. 1660 extincti. b. m. i r. (k. n. 14)

30, *gg)* Epitaphium Regni Daniae agonizantis, eiusque inopinata convalescentia et generosa resurrectio ex tumulo. b. m. 1660. (k. n. l. 4)

Rapp Christoph 31 *hh)* Homo politicus auctore Pacifico a Lapide. Cosmopoli 1664. (str. 30)

32 *ii)* Stetget Harip. Conjectio de futuro Romanorum rege promovendo in imperatorem. b. m. 1658. (str. 22)

Frischmañ Johañ 33 *kk)* Collegium reliquorum Imp. deputatorum ad Collegium electorale de praesenti statu Imp., imperatore eligendo, scribenda lege, annexis aliis. b. m. 1657. (str. 97)

34 *ll)* Responsio ad duo scripta Danica, quorum alterum sub

titulo Juris fecialis armatae Daniae, alterum sub nomine Manifesti exiit. Francofurti 1658. (str. 39)

35 *mm)* Epistola equitis Romani de eligendo rege Romanorum b. m. 1658. (str. 16)

36 *nn)* Brevis informatio et demonstratio, quam injuriosis et calumniosis persuasionibus feliciss. record. Imp. quondam Ferdinandum III. ejusq. filium Ser. Hung. et Boh. Reg. Leopoldum ablegatus Reg. Suec. coram electoribus et statibus imperii emisso in publ. libello accusatorio ruptae pacis insimulare conatus fuerit. b. m. 1658. (k. n. l. 15)

37 *oo)* Scher Mart. Vota Germaniae intranti Austriam obita Leopoldo. b. m. i r. (k. n. l. 4)

38 *pp)* Biörenklou Math. Memoriale novum in puncto pacis et securitatis publ. quod nomine S. R. M. Sueciae d. 4 Maii a. 1658 exhibitum est S. Rom. Imp. collegio electorali. Francofurti 1658. (str. 7)

39. *rr)* Delirus prodromus in viam reductus. b. m. i r. (str. 6)

Frischmann Johann 40 *ss)* Delirus prodromus. b. m. 1658. (str. 14)

Schultz Peter 41 *tt)* Negeschius Petr. Comparatio inter Claudium Tiberium princ. et Olivarium Cromwellium protectorem. b. m. 1657. (str. 28)

Frischmann Johann 42 *uu)* Classicum belli christiani ad christiani principes omnis adversus christiani nominis hostes Ottomanidas. b. m. 1661. (str. 37)

43, *vv)* Disjectio rejecta sive iterata et constans querelarum Gallicarum discussio. b. m. i r. (str. 22)

Frischmann Johann 44, *yy)* Responsum ad nuperam illam admonitionem Gallo juxta ac Germanico stilo adversus sanctius Christianiss. Regis consilium publicatam ex causa Mardici Anglis belli contra regem catholicum sociis cessi. b. m. 1658. (str. 32) sk. 5. —

Exp. dobrze zachowany tego zbioru pism ulotnych do panowania Jana Kazimierza odnoszących się. Oprawa z wyciskami i klamrami.

1773. Pękalski Petr. De Petri militis per S. Stanislaum epi. Crac. resuscitatione. Cracoviae 1826. 8vo (k. n. 2, str. 23) br. —

1774. Peterek Jan. Wykład systematyczny zarazy bydlęcéj, przez J. N. Kurowski. Warszawa 1833. 8vo (str. 108, tabl. 1) br. —

1775. Petricius Joan. Innoc. Historia rerum in Polonia gestarum anno 1620. Cracoviae b. r. 4to (k. n. 3, str. 77)
b) Princeps Polonus. Cracoviae 1633. (str. 109) psk. 10. —

1776. — Palaestra oratoria sive Imitatio Ciceronis. Cracoviae 162. 4to (k. n. 50) br. 3. —

1777. Piasecki Fel. Wróżka, dramat. Kraków 1861. 8vo (str.) br. —

1778. — Jac. Mythologia Aeneidum P. Virgilii Maronis. Cracoviae 1635. 4to (k. n. 8) br. — 5

1754. **Paradoxa** koronne publica i privatim potrzebne szlachcicowi polskiemu, napisane r. 1603. Kraków 1853. 8vo (str. XXI k. n. 1, str. 152, k. n. 2) br. — 25

1755. **Paritius** Christ. Frid. Commentatio brevis ex historia literaria de quibusdam Silesiis eruditis in Polonia muneribus functis. Cracoviae 1816. 4to (str. 24) br. — 40

1756. **Parkossius** Jac. Antiquissimus de orthographia polonica libellus. Posnaniae 1830. 12mo (str. 99) br. — 50

1757. **Parthenay** v. A. Geschichte von Pohlen unter der Regierung August II. Mietau 1772. 8vo 2 Ty (I. str. XIV i 508; II. str. 640) p. 2. —

1758. — Histoire de Pologne sous le regne d'Auguste II. La Haye 1733. 8vo 2 Ty (I. str. XXIV i 256; II. str. X i 256) 2. —

1759. **Paschacy** Andr. Sig. Plausus laetitiae publicae ad triumphalem post victorias reditum serenis. ac invictis. princ. Joannis III. reg. Polon. etc. expressus. Cracoviae 1683. fol. (k. n. 14) br. — 50

1760. **Pasternak** K. F. Wielki świat małego miasteczka. Wilno 1832. 8vo T. II. (str. 214) br. — 25

1761. **Pastorius** Joach. Bellum scythico cosacicum etc. Dantisci 1652. 4to (k. n. 8, str. 269, k. n. 1) p. 7. —

1762. — Florus Polonicus, seu Polonicae Historiae epitome nova. Lugd. Batavor. 1641. 16mo (str. 215, k. n. 16) br. 1. —
Brak tytułu, dedykacyi i przedmowy kart 7.

1763. — dtto. Gedani et Francoforti 1679. 16mo (k. n. 22, str. 851, k. n. 20) psk. 2. —

1764. **Paszkowski** Franc. Mowa miana przy założeniu podstawy mogiły na pomnik Tadeuszowi Kościuszce 1820 r. Kraków b. r. 8vo (str. 12) br. — 25

1765. **Paterkula** K. Welleja Historia. Warszawa 1830. 8vo (k. n. 1, str. 276) psk. — 50

1766. **Pauli** Żeg. Pamiętniki do życia i sprawy Samuela i Krzysztofa Zborowskich. Lwów 1846. 8vo (str. XI i 215) br. 1. —

1767. — Pamiętniki o wyprawie chocimskiéj, z rękopismów i druków mniéj znanych. Kraków 1853. 8vo (str. XI i 184, k. n. 1) br. 1. —

1772. Pax Polono-Svecica, per deputatos ad id sereniss. ac potentiss. princip. Poloniae, Sveciae Regum legatos conecta Olivae 1660. 4to (str. 22)

2. b) Pax Germano-Svecica etc. Viennae 1648. (str. 84)

3. c) Wolphius Joh. Pannonia perrorata panegyrice. b. m. 1652. (k. n. l. 10)

4. d) Rewa de Petr. De sacra corona Regni Hungariae. Viennae 1652. (str. 96)

5. e) Copia literarum cujusdem magnae dignationis Poloni Dn. Przimsky ad fratrem suum Dn. Christ. Przimsky Casell. Culm., in quibus amore patriae suae ductus explicat, quid sentiat de tractatu Polonorum cum Austriacis. Cusini 1657. (str. 11)

6. f) Biörenklou Mat. Memoriale iteratum in puncto pacis et securitatis publicae. Francofurti 1658. (str. 12)

7. g) Statera veritatis ad quam responsum Gallicum. b. m. 1658. (str. 27)

Frischmann Johann 8. h) Statera veritatem transgressa subversa. b. m. 1658. (str. 19)

9. i) Circa pacem religiosam ficta veraque propositio in Epist. ad D. Baronem. b. m. 1661. (k. n. l. 10)

10. k) Querelae universi cleri in Majori Polonia et Dioec. Posnan. super barbara Austriaci militis insolentia, in Ord. Eccl. et Christ. patrimonium exercita. Posnaniae 1658. (str. 4)

11. l) Olszowski Andr. Expositiones coram eminentis. D. Elect. Moguntin. b. m. 1658. (k. n. l. 2)

12. m) Olszowski Andr. Memoriale nomine S. R. M. Poloniae et Suec. ad S. E. Illustr. S. R. Imp. Electores, Principes et Ordines. b. m. 1658. (str. 4)

Frischmann Johann 13. n) Moguntini labores electorales, praevii et electorii. b. m. 1657. (str. 45)

14. o) Grandmont Ant. et H. de Lionne Memorialia bina, primum ad deputationem statuum ord., posterius ad collegium elect. directa. Francofurti 1658. (str. 15)

15. p) Disjectio brevis illius Gallicarum querelarum discussionis. b. m. 1658. (str. 16)

16. q) Pacificatio Ratisbonensis inter S. C. Maj. et Regem Franciae. b. m. i r. (k. n. l. 8)

ELOGIUM FUNEBRE
SERENISSIMI
CAROLI GUSTAVI,
REGIS SVECIÆ,
GOTHENBURGI, IN SUECIA,

FEBRUARIO MENSE,
ANNO MDCLX.

FEBRI CALIDA, CONTAGIOSA,
EXTINCTI.

Sta Viator & stupe!

suspira infelix ô Suecia!

respira tandem,

anceps diu, jam securior

Germania.

Hîc jacet, per quem jacent tot aliÿ,

Regna, Populi, Provinciæ;

Fas & Fides.

§. I.

Spectantia ad nomen Caroli, & Gustavi.



- - Acet, inquam,
CAROLUS GUSTAVUS.
Benè! imò malè *Gustavus.*
Cuius insatiata Ambitio,
cùm Regna integra pararet glutire;
deprehensa tamen postremò fuit,
ubiq; tantùm *gustavisse.*
Licèt ergò non fuerit Gustavus iste multùm amabilis;
habuisse tamen compertus, illud amabilis Jonathæ:
Gustans Gustavi,
Poloniam, Prussiam, Daniam, Curlandiam;
Et ecce ego morior! 1. Reg. 14.
Habuit & illud trium Leonum Rex,
commune cum leonino Samsonis problemate,
De comedente exivit cibus. Iud. 14.
Quia, quam olim abligurierat prædam,
ab Romano Imperio violentè amorsam,
Pomeraniam,
ante mortem jam cæperat regerere.
Quantoq; congestiorum priùs amaritudinum,
tot gentibus causa extitit;
tantò limpidiorem dein *dulcedinem*,
è repentino jacentis funere *egressam*,
omnis latè vicinia delibavit.
DISCE, VIATOR;
eorum solummodò Regum mortem melleam esse,
quorum vita Populis fuerit acerbior.
Merentur, ut in exangui ore nidulentur apes posthumæ,
qui feri, dum spirant, leones extiterint.
Hæc Viator habes de Nomine Gustavi.
Gustum vel ipso nomine irritatum sentio.
Porrò indulgeamus.

Non habes igitur, quod tibi jam metuas,
Auguſtum Sacri Pomum Imperij;
Poſteaquam duo jam recèns in Suecia jacent
GUSTAVI,
Quorum prior, Tui Tantalus manifeſtior,
ad Luczam, ignobilem pagum occubat in prælio:
Alter,
AEneid. 1. *ſi qua fata ſinant*
viam ſibi eòdem adornans,
Gothenburgi ignobiliter occidit,
morbo è pertinacibus caſtris contagioſo.
Et tanti erat convocâſſe Regni Comitia.
ut quos calamitatis privatos Conſultores habuerat.
haberet quoque publicos exitij ſpectatores.
Dictus priori nomine, idem fuerat
CAROLUS.
ſed quia ſtirpi Auſtriacæ,
veterum, & cognotarū ſimultatum gratiâ parùm gratioſè addictus
idcircò de illo Caroli Auſtriaci,
Plus ultra,
non multùm mutuatus

§ II.

Circa originem Regis, è Comitibus Palatinis Germaniæ, ad Rhenum.

JAcet ergo
CAROLUS GUSTAVUS.
ORIGINE PALATINUS COMES,
Fortunam diu minimè Palatinam expertus eſt,
ſed proſſus palantem.
Poſt Fridericum exulem,
exul & ipſe, ac palabundus,
neque jam tantum unius Rheni,
ſed totius propè Europæ,
Palatinus.
Propriarum opum, ac potentiæ expers;
alienarum, in Suecia, & alibi,
domi, belliq; comes,

Friderico tamen Palatino Comite felicior.
Vocatus hic à Suecis,
ille ab Hercynijs.
Sed illi computus ſine Hoſpite nocuit;
Huic Regina Hoſpes,
& hoſpitalis Suecia,
rationes omnes, ſummamq; rei
facilè compoſuit.
Illum propria Conjunx, Anglorum Regis Filia,
dum ad ſumma præpoſterè ſtimulando erigit,
ad ima perculit.
Hunc exiſtimata diu ſponſa, Magno Suecorum Rege genita,
ad Regium in Suecia culmen provexit.
Illi proinde ad ſuum in Anglia ſocerum faſdicere:
Mulier quam dediſti mihi ſociam, Geneſ. 3.
dedit mihi de malo.
At huic, ad ſuum in Suecia Auunculum;
Chriſtina tua,
dedit mihi totum, cum Regio Seciæ pomo.

AD MULIERES PRINCIPES, VIATOR, VENIMUS;
tantiſper ſiſtamus.
Et primam quidem illam, omniumq; Principem.
ſerpentino ſub ſchemate, Angelus decepit.
Anglica altera,
non Viro tantùm,
ſed & ſibi, Suiſq; ſerpens fuit.
Utraq;,
veneno longè ſerpturo,
etiam natos natorum ab origine intoxicavit.
Nec Anglicæ minùs, quam Angelicæ fabulatricis,
ad ſerpentem illam, pœna acceſſit.
Hæc *ſuper pectus gradi* juſſa fuit: Geneſ. 3.
Illa,
ut ſui propago Uteri,
Celſitudine Electorali dejecta,
humilis diu, depreſſaq; incederet,
originali faſtu effecit.

De Gothica Nunc Accipe.

Ab arbore ſcientiæ, infamis, mulier omnium prima.
A ſciendi cupiditate,
famâ celeberrima, Chriſtina.

Genes. 2. Illa Virago ſolum dicta, quod de *Viro* ſumpta.
Hæc & Heroo Guſtavi ſanguine genita,
& indè Virago maximè,
quòd Virum maſculè averſata.
Videmur á Palatino evagari non nihil
O Viator.
Et verò,

Prov. 10. *in multiloquio non* facile *deeſſe* poteſt *peccatum*;
præſertim, ſi cum, vel de fæminis, fuerit inſtitutum.
Non importunè tamen earum mentio incidit;
quarum prior,
unius Palatini fortunam in perniciem impudit;
altera ad ſolium ſublevavit.

§. III.

Principis ad Regnum Sueciæ per Chriſtinam authoratio.

Igitur communi diu Orbis rumore,
Sponſus Chriſtinæ Carolus,
Regnum, Reginæ locò, ſibi conjunxit.
Docente priùs illâ,
Poſſe etiam Coronis dari libellum repudij,
Niſi divortium potiùs videri potuit,
quod in tot deinde divertendi Provincias,
occaſionem dedit.
Dotem ergo tunc accepit Carolus, ſine Perſona;
& ſplendidam nubem, haud evanidam tamen,
apprehendit locò Junonis,
aliò interim ſe ſubducentis.
Ad Regnum, adeò tunc fortunatum evectus,
ſed & plures deinde felices progreſſus ſortitus,
potuit videri Fortunæ pullus.
Si tamen

uti benigno illius favore excludi,
ita obstetricem fovere suam,
gratus vicissim didicisset.
Germaniam,
de Suecis dominium illius vendicantibus,
gloriosè videri poterat ultus;
nisi factus Suecorum Dominus,
similia fuisset meditatus.
Quanquàm,
suis ipse moliminibus oppressus.
Et quia in moliminum mentionem incidimus;
Gesta nunc Viri, Virtutemq;
(nam de Fortuna ferè solùm hactenus)
Viator requires?

§. IV.

Gesta ante Regnum, in Germanica Pace componendâ; & statim post Regnum, exordium Bremense, in violanda.

Diu à Fama abditus,
repentè Exercituum suecicorum Generalissimus,
in *limine* ipso
Pragæ offendit: *Iuxta Idioma Slavonicum.*
Hoc illi omnis futuri omen fuit.
Vel sic docente Astræâ,
posse Fortunam Suecis
in occupandis sedibus Regiis,
dextrè principiò existere propitiam;
Virtutem attamen, & possidendi Felicitatem,
ad extremùm esse sinistram:
Ad bellum vix venerat Carolus,
& bellare jam desiit.
O Pacis amicum Principem!
nisi sævam bellandi orexin,
ipsâ Pace acuisset.
Errâsti delusa Germania,
cùm Pacatorem tuum salutâsti,

Pacem

Pacem Norimbergæ confecit,
ut haberet quod deinde violare posset.
Aliis finis belli Pax,
Huic finis Pacis,
Bellum grandius intereà apparandum fuit.
Nec temerè,
Pax ea confecta fuerat inter pocula;
ut liqueret, quàm facilè
(quoad staturum quidem foret aliquando per ipsum)
esset diffluxura.
Quanquam,
quomodo deesse ibi poterant pocula?
ubi tota,
quemadmodum tricennalis olim belli;
ita pacis dein conficiendæ causa,
ad Principem è Dapiferorum Familiâ
fuerat devoluta.
Et maturè verò satis id experta Brema,
repentina in se grassatione,
sensit Pacem, omni priùs Marte temulentiorem.
Hoc primum novi Suecorum Regis,
in Pacem recèns à se stabilitam,
Fidei Regiæ experimentum.
Pallium una Imperij Civitas fuit,
quo tantus, qui jam instruebatur, Mavors,
velut sub cortina interim operiretur.
Ut tegmine nihil opus visum amplius;
Dubitavit diu Europa,
quorum is, totâ mole, incumberet.
Nec vanum Pompeij pedem habere videri poterat.
quoquò se intulisset,
facturus terram intremere.

§. V.
Bellum in Poloniam.

OBlata subitò, sed non ex improviso,
Lechici Regni Corona,

tam

tam delicatus bolus est visa,
ut orexis aliorum tantisper distineretur.
Ita occurrere voluêre Fata,
Æsopico plurium prensatori:
Quod intentione primum Regi fuerat,
supremum executum servatum est;
Et Germano-Austria interim dilata,
dum prenderetur transcursim Polonia;
novas deinde & auctiores vires,
in id ipsum præbitura
Et, quia volverat, jam fuerat prehensa.
PROCERES, CIVITATES, EXERCITUS,
vel conciliati, vel strati, vel perturbati.
Rex jam hic quoque Carolus,
Si modo, quam sibi poscebat apud Populos,
prior ipse Fortunæ habuisset reverentiam.
Eâdem igitur levitate fastigio ibi excidit,
quâ ad illud pervenit.
sic nempe,
Idem iter Athenis Thebas, & Thebis Athenas est,
Redierunt ad Dominum Populi
illo graviorem experti.
Mitius sentire debuit, Gustavus,
quid sit Regem tantùm esse hybernum,
à Friderico Cognato suo
in cognata Bohemis Polonia,
jam antè ad similem sortem condocefactus.
Et quid mirum
consilia, successusque hyemales
primo Vere fuisse resolutos in nihilum?
Fuit proinde,
vicino septem Trionibus Regi,
Solstitium Hyemale, quàm Æstivum faventius.

§. VI.

Expeditio Danica.

RES PORTENTOSA TAMEN!
Magna calamitas
ad Fortunam rursus opimam aditum aperuit.
Neque aliâ lege è Polonia ejecit Carolum,

quàm

quàm ut maris Balthici in manus conſignaret dominium.
Ferè jam ſine compare,
brevi etiam ſine æmulo.
Et non obſcure verò maris imperium affectavit Carolus.
Quanquam,
ecquomodò tumenti ille potuiſſet imperare mari,
qui ſuo ipſius tumori tam parùm aſſueverat moderari?
Dignatumne fuiſſet inconſtans illud Elementum Dominum;
qui humanæ ipſemet inconſtantiæ,
mox futurus eſſet exemplum?
Maris tamen (ampliaturus Potentiam) vendicare captabat
anguſtias:
Et publicum, omnium tranſeuntium navibus,
imponere moliebatur telonium;
Heu neſciens!
Iob. 9. ſibimet ipſi, *navis inſtar pertranſeunti*
commune mox naturæ ſolvendum eſſe tributum.
Sed funerea tantiſper adhuc ſeponamus.
Sceptrum ergo novum, nova Regni Corona
obitanei inſtar ſpolij objicitur.
Tanti fuit pigerrimo anni tempore eſſe tam celerem.
Et cùm frigore ſtaret etiam mare;
calentiſſimè cum exercitu huc & illud volitare.
Ad pacta igitur tumultuaria adactus Fridericus,
nocentiora bello expertus eſt.
Contra ſui ipſe Fidem Nominis,
quæ Mars reliqua fecerat, Pace peſſumdedit.
Parùm aberat, quin è Rege, non vulgaris Potentiæ,
repentinus fieret Codrus,
& non ille quidem Athenienſis.
Ventum igitur rurſus ad arma.
Et quod intulerant præjudicium conventa *Rotſchildiana*,
reparare debuerunt *ſcuta ſanguinea*.
Ne Cimbricæ Cherſoneſi ex integro Rex fieret Carolus,
una Civitas obſtitit.
Patuit tunc, quid ſit Regem
ſubditis, & ſibi eſſe præſentem.
Atrox Obſidio,
Ubi duo validi in Europa Principes,

Rex Athenarum, qui pro ſalute pub. morti ſe objecit.

Unius tantùm muri intervallo distarent.
Et laboravit omni operâ Carolus,
medium parietem maceriæ solvere; *ad Ephes. 2*
ut *utraq;*
Sueciæ Regnum atque Daniæ
faceret unum.
Non tamen *solvens inimicitias,*
sed inimicam tum vel acerrimè obsidionem perurgens.
Inventum novum. *Stratagema Suecicum in indusiis albis tempore nivali contra urbem.*
Per candoris speciem,
deludendam sibi Rex Suecus censuit Danorum simplicitatem.
sed opportunè jam antè, quis foret candor Suecicus,
Fridericus didicerat.
Qui venirent, patuêre Sueci,
quàmvis in albos lucis Angelos, per atram noctem transformati.
Et stratagema â nive petitum,
fervore tunc Danico, facilè fuit colliquatum.
Neque jam fucatè, & per dolum,
at seriò Sueci palluerunt.
Non igitur profuit color candidus,
tam atra animo destinantibus.
Et Suecorum, Danos hactenus vincere solitorum,
præcipua tunc passio fuit; à non asuetis,
Mense Februario, lustrico aliàs, & expiationibus sacro,
parabatur laniena tam inexpiabilis.
Nisi forte (quod hoc mense suetum apud Veteres)
in Christianorum Urbe, renovare Voluerit Carolus,
Dîs Manibus sacrificium:
Notus jam Proserpinæ minister.
Quanquàm autem Calvinistæ (quibus innutritus Rex)
nullum apud Christianos admittant sacrificium,
præter solum cruenti illius typum:
At istud certè, Calviniano sub Rege,
non typus fuisset cruoris;
si tota, uti apparabatur Coppenhaga, sanguine redundâsset.
Nesciebat tum ipse quidem,
eum ardentissimæ oppugnationis diem fore anniversarium
quo Animus ille, â sui ipsius corporis ardore expugnatus;
se Libitinæ dedere cogeretur,

Clades igitur illa, non diminuit pertinaciam, sed pro ritavit.
O novum Antæum!
qui vires resumi putaret cadendo.
Confirmavit Regiè; quam Coppenhagâ vel letdesistere,
cuncta se priùs perditum ire.
O fide dignum Heroa!
ut qui obstrictam fidem tam examussim impleverit,
non reliqua tantùm, sed & seipsum perdendo.
Neque priùs exsolvisse sibi visus fuerit dicti Veritatem
quàm corpore Spiritum & mentem.

§. VII.

Ægritudinis primæ initia, & progressus.

FUturæ igitur Regis Sandapilæ,
materiem interim è varijs apparabat Fortuna.
Fortuna vocetur tantisper;
quod Numen aliàs, fortuitorum arbitrum, vocare consuevimus.
DUCES JAM AMISERAT, & EXERCITUS.
Occupatæ raptim Provinciæ
ad priores ferè Dominos redierant.
Revoluta Polonia;
Recepta Curlandia;
sine spe subveniendi destituta Prussia.
Princeps modorum cæteroqui musicorum peramans,
ignorâsse tamen videtur carmen illud,
Non minor est virtus, quàm quærere, parta tueri.
Hærebat apud Coppenhagam,
abeundi magis verecundiâ,
quàm obtinendi fiduciâ.
Illatum subitò Pomeraniæ suæ bellum;
In mari præpollens classis Batava;
Res ad Hafniam retrogradæ;
Clades dein Fionica; Noruegia postremò,
boli fuêre, à Regio stomacho,
delicatè insuper à Fortuna hactenus habito,
non facilè digerendi.
Quid mirum ergò,
ex indigestione tanta, febrim ortum duxisse?

Et quomodò indigestione non laboraret.
posteaquàm integra jam, cum Regibus suis, Regna,
tantumq; terrarum spe devoraverat.
Valde crudo certæ eum fuisse stomacho experti sunt;
quotquot crudelem stomachationem veriti,
leniri subinde posse speraverunt.
PRIMA MORBI INITIA, à FRIGORE DUXERE AUSPICIUM.
Volente nimirum Fortunâ,
per id somnium primò, à Rege jam se aversam ostendere,
quo ante meminerat, præcipuè patrocinatam esse.
Frigida ergo alteratio meritò extitit,
quâ temperari oportuit præfervidam insolentiam;
quam insolens, à tot retrò annis frigus,
Fioniâ, alijsq; Daniæ Insulis,
non tam oblatis, quàm ultrò obtrusis,
eidem conciverat.
Quanquàm miror Regem
in eos, quos Fortunæ suæ obstitisse crediderat,
tum vel maximè flammas & ignes spirantem,
algere adeò potuisse.
Nisi fortè,
factum id dicatis Philosophi, per antiperistasin.
Et verò, si hæc *circumsessio* est *contrarij*,
à tot Hostibus sibi contrarijs,
ardentiùs nunquam Carolus, quàm tum, fuerat circumsessus.
Frigus memoratum,
calida & continua febris excepit.
Errâstis tamen, ô Medici,
cùm momenta illius à brevi tempore observâstis.
non fuit febris illa quatuor tantùm dierum,
sed continua,
(ex quo præsertim Diadema in Suecia Regium induerat)
tot jam annorum.
Perpeti, neq; intermisso unquam paroxysmo,
laboravit Gustavus.

§. VIII.

Morbus recidivus Caroli.

ERrâstis proinde iterum, Viri Excellentissimi,

cùm medicaminibus vestris,
febrim, ad tempus compositam, credidistis.
Tentaverat id quidem, necdum ultrix,
verùm ad sanitatem adhuc,
si fas, revocatura Nemesis,
non unâ amarâ sorbitione,
sub finem præsertim, Regi propinatâ.
Et quàmvis negotia in Consilio expedire iterum cœperit;
id tamen ipsum,
non tam fuit argumentum sanitatis restitutæ,
quàm irritamentum ægritudinis novæ.
Nam si,
sanguinarijs illis negotijs, saltem tunc sepositis,
saniora consilia Carolus cæpisset;
quodam Telephi Regis exemplo,
eandem ab Astris manum,
quàm priùs atrociter sternentem,
expertus fortè fuisset,
leniter persanantem.
Aut si Hebræi potiùs,
quàm Regis Ethnici exemplum arridet;
habuisset ille;
(quanquam hactenus de Ezechia,
Isaia 38. præter illud:
In dimidio dierum meorum vadam ad portas inferi:
parùm prætulerit)
Habuisset inquam fortasse, aliquot *umbrarum lineas*,
in vitæ suæ horologio, redeuntes.
Nisi, cæptis suis immobilis ipse insistens,
nullâ eorum, quæ occupaverat, parte decedere,
sed porrò semper progredi, obstinâsset.
Dixi tibi Viator, Medicorum opinione, remisisse febrim.
Sed ipsis etiam attestantibus,
graves catharri, humorumq; è capite defluxus
nunquam posuêre.
Numine scilicet adhuc memori, tot amarorum defluxuum,
quibus capita, & oculos
tot lacrymantium aggravârat Populorum.
QUATUOR HEBDOMADAS,
visus inducias Regi concedere DEUS;

an paciſci interea vellet amiciùs?
ubi tempus incaſſum fluxerat;
ad arma iterum, à belligerante Cœlo conclamatum eſt.
Corripitur ergo Guſtavus denuò *Luca* 23.
ſed utinam ad emendationem!
Quod quia ſperari non poterat,
Correptus fuit ſed *non dimiſſus.*
Non prima hæc Regis
ad ſanitatem revocati,
fuit recidiva.

§. IX.
Morbi fatalis particularia è Medicorum relatu.

PRÆLUSIT ITERUM IN HORAS QUATUOR FRIGUS
Erat hic jam gelidæ mortis prodromus.
Secuta denuò febris ardentior.
Sanguine illo,
qui iniquè toties in alios,
in ſeipſum tandem juſtiſſimè exardeſcente.
Miſcuit ſe convulſio laterum,
vindex Chriſtiani Nominis,
cuius firmum contra Barbaros latus,
in Polonia convulſerat.
Acceſsêre cordis arctari anguſtiæ,
reſpirandi copiâ vix indultâ.
Cor amplitudine ſuâ, tot alienarum Ditionum ſpatia
complexum, illas meruerat.
Et quomodo commodè ſpirare poterat,
qui tam multos, tamq; incommodè fecerat exſpirare?
Neq; crebræ virium defectiones ægro aberant;
tum primum Animo illo
defectum, atq; deliquia patiente,
qui ſolos per exceſſus, eatenùs ſolitus delinquere.
Dyſenteriæ profluvies ſe junxerat,
ut experiretur jam miſerandus Rex,
non Fortunam tantùm cum alijs,
ſed ipſum etiam ſe à ſemetipſo defluere.
Quid continua dicam inſomnia?
Hoc fecêre tot

tot placidæ noctes, tot tranquilli, & innocentes somni,
tot urbibus, tot nil meritis Gentibus,
interturbati.
Deniq; febris fuit omninò pestifera.
Ita judicavêre Medici,
ita maculæ in corpore defuncti superstites,
confirmavêre.
Ipse ergo, tot Populorum fatalis contagio,
contagione quoq; suâ non caruit.
Et quemadmodum semper vixerat intus animo,
ita foris corpore, vitâ jam functus
apparuit versicolor.
Medicus, viator, minimè sum,
id scio tamen,
eam, quæ Regem extinxit, febris speciem,
Tyrannidem apud peritos appellari.
An morbus hic Regi
non Physicus tantùm,
sed etiam Politicus fuerit?
viderint ij, ad quos attinet,
Politici.
utinam non experti fuissent Populi tam multi!

§. X.

Mors Regis.

SEXTÆ, à RELAPSU IN ÆGRITUDINEM, LUCIS EXORDIO
vitalem hanc lucem,
1. Ioan. 2. non priùs tamen *concupiscentiam oculorum*
quàm oculos clausit.
Illud Medicis permirum,
tota ægritudinis intemperie,
consueti aliàs, eiusmodi humorum perturbatione, delirij,
nil accessisse.
Rationis ergò, suique, semper compos jacuit,
Ut constaret, nullum perituro defuisse tempus,
quo, si vellet, sapere posset.
Appellent id Alij,
Animi ad omnia invicti,
Regiam ad extremum memoremque sui celsitudinem
Acatholici,

Benignum Numinis, in communem sibi Regem, Favorem;
Ego, in ipsa felicitate summam infelicitatem.
Neque supremum illud solatium DEO favente,
ut titulo insaniæ
exiguam pro admissis pœnitudinem,
posset excusare.
O miserum Regem!
i ne ad illam quidem pertineat, pro scelestorū maximis, Orationē;
Pater dimitte illis!
non enim sciunt, quid faciunt. *Lucæ 23.*
Oràsse tamen fertur ultimò:
istæque morituri jam extitisse voces:
DEUS propitius esto mihi misero peccatori.
Postrema vera esse credo.
Meretur tantùm Regis publicè asseverantis authoritas.
Neque enim suspicere, ex privata loqui me confessione,
Calvino hanc illi non indulgente.
Quàmvis autem cum Calvinistis
nullum Pœnitentiæ sacramentum admiserit;
Ipsa tamen Regis Pœnitentia, eo vel renuente,
Magnum sacramentum est. *Sacramentū in*
Quanquam magnoperè dubito, *scriptura*
an ad Pignus Gratiæ sit assumptum? *subinde*
IMUM ORATIONIS MEMORATÆ QUOD ATTINET, *idem quod*
an illud obtinuerit? nescio; mysterium
Id scio;
oràsse etiam, simili constitutione Regem Antiochum,
Veniam tamen ne-utiquam impetraturum. *2.Mach.9.*
Et quid impetraret Oratio,
contra quam ex adverso tot miserorum calamitates
validiùs perorabant?
Unde etiam,
si verum velimus asserere,
non tam (ut censuêre quidam)
oppressit illum vastitas molis propriæ,
quàm tot Populorum Provinciæ fœdè devastatæ.
RIA EXPIRATURUS, SUSPIRASSE MEMORATUR.
Pacem cum Dano infractam;
Curlandum duriter habitum;

Tantùm ſanguinis Coppenhagæ aggreſſu profuſum;
ſed erat dolor hic non Catholicus;
Utpote
ſine propoſito emendationis, tumultuariè efformatus.
Informis proinde, nec *valiturus.*
Satisfactionis nulla mentio Regi,
in ſatisfactione Chriſti omnia generaliter reponenti.
Neſcivit fortè illud Pauli;
ad Coloſſ. 1. *Adimpleo ea, quæ deſunt Paſſioni Chriſti.*
Quanquam
Quod Paſſioni Chriſti adhuc in membris ſuis defuit,
ipſe tot illatis orbi Chriſtiano calamitatibus
abundè ſupplevit.

§. XI.

Diſcurſus de Morte Regia continuatus.

IN brachijs *Oxenſternij* ſpiritum efflâſſe perhibetur.
Vereor tamen,
ne tardus nimis fuerit ille *Boëtes*,
qui Regem, morarum alioqui impatientem,
in Cœlum proveheret,
veneritq́; tunc primò,
Matth. 25. cùm *clauſa* jam eſſet *janua.*
Cant. 2. Nec *Dilectus*, qui *per cancellas proſpicit*,
omnes ab eiuſmodi commendatos Cancellarijs
ſemper admittit.
Gothenburgum quidem,
Terminum à Quo, fuiſſe illi è vita diſcedenti,
eſt in confeſſo;
An fuerit etiam ſimilis Nominis *Terminus ad Quem?*
valde in obſcuro.
Sed hæc quidem, longè ultra Zemblam, in altero orbe ſunt
Ad cadaver Regium redeamus in Sueciam.
Paucis Ab Obitu Horis,
& à febri tunc, & aliàs ſemper à concitatione animi
fervere ſolitus Rex, frigidus in glaciem jacuit.
Adeò nullus eſt tam vividus color,
quem Libitina tandem attemperare non poſſit.
Illud demiror prætereà,

tam bellicosum cæterà concitatumque Regem,
(cujus vita potior in campo Martio)
in imbelli tamen domi strato, mori potuisse.
Fas dicere ei post tot prælia, illud Æneæ;
Si Fata fuissent; *AEneid. 2.*
Ut caderem, meruisse manu.
Sed non dignatus illum est Exercituum Dominus,
ut apertè caderet in prælio,
qui aliquot Principes supplantaverat in occulto.
Non igitur, hac quidem gloriâ,
(sed neque priùs in alijs)
Gustavum priorem æmulatus est.
Ab illo,
(excepto quòd Suecum penitus se diffiteri non posset)
cæterà fraus longiùs & dolus.
Huic familiaria ac penè in contubernio.
Itaque
Suecus ille, tantum non evasit in Germanum.
Hic ejuratâ suâ Germaniâ,
non ornatum tantùm Regium,
sed animum penitùs induit Suecum.
MORTUUS ERGO EST REX SVECIÆ.
Iterum, iterumque tibi hoc Confirmo, Viator.
Ultra ne ambige.
Sæpius quidem aliàs ita proclamatus fuerat;
sed nimirum,
quamdiu sæpiùs mortuus, semper vivus,
Nunc postquàm mortuus tantùm semel;
noli suspectam habere ampliùs fidem famæ,
jam non revocaturæ,
Rex plurium Regnorum spolijs onustus,
Fati tandem ipse proprij spolium factus est.
Nec mors restituet ultrà illum ablatum,
qui dum viveret, nihil unquam solitus restituere alienum.

§. XII.

Circa Mortis Regiæ Terminum à Quo, & ad Quem

Et mortuus est quidem in Suecia.

REs mira!
tot absentem alibi annis,
domum solummodo redijsse, ut moreretur.
Nimirum,
non aliâ lege domum reduci merebatur Ambitio
tam longè lateque in peregrinis exspatiata.
Quid novum tamen domi esse mortuum?
Omnes ubicunque demum, non alibi tamen
quàm domi morimur.
Terras lustremus & maria;
trans solis Lunæq; vias,
subinde etiam extra nos ipsos divagemur;
nulli tamen sua mors peregrina est,
sed domestica.
Quid ergò juvat multa designare, longè & à foris?
cùm tandem moriendum intus sit.
Quanquam dum vel sic domum Carolus redit
proficiscendi Rex aliàs avidus,
nullum tamen unquam hac longinquiorem profectionem institu
An celebris tot Regionum lustrator,
ad *Terram sanctam* quandoque perventurus sit?
Nec ipse comperi, nec tibi quid dicam, Viator, comperio;
Nisi forsitan,
quia *locus in quo* ultimò *stetit,*
Gothenburgum fuit;
Terram hanc illi *sanctam* fuisse existimes.
Exod. 3. Ubi non *calceamenta* tantùm *de pedibus*,
sed & Animam à corpore *solvit.*
O Ducem Populorum novum!
in Terras tamen promissas, suos non inducturum,
Ad Limina Apostolorum judicio meo, vix venit,
qui ea vivens tam parùm coluit,
Undè etiam
vix aliquam, puto, impetraverit indulgentiam,
etsi Romæ haberet Serenissimam Christinam.

Id certum;
in peregrinas abijsse Provincias;
imò in Orbem Alterum.
Atq; jam nunc moratur apud Antipodas,
ubi clarè videt, tametsi fortasse in tenebris;
quàm inverso ordine omnia incedant humana.
Dum itàq; sic peregrinatur Gustavus,
nos interim, Viator, Gothenburgi subsistamus adhuc,
relictas ab illo exuvias contemplaturi.

§. XIII.

Honor ornando Cadaveri Regio à Suecis mox præstitus Gothenburgi.

QUARTO POST OBITUM DIE, SUB VESPERAM,
Corpus Regium ligneæ tumbæ fuit impositum.
Tali septo coërcendus fuit ille Leo,
qui omne quod ferreum foret & aheneum,
sperabat perrumpere.
Tumba eadem atro forinsecùs holoserico,
à foris delicato candidoq; texto bombycino
spectabatur inducta.
Color primus indicium luctûs extitit.
Alterum optâssem
intimum non tam fuisse panno quàm Animo.
VESTIS EXTIMA,
quâ Regio in loculo amictus jacuit,
aureis argenteisq; fimbrijs prætexta fuit.
Sic habet!
Rex erat in vivis Carolus.
Utrum tamen egressa jam Regali Corpore illius Anima
fuerit pariter *Regina*
in fimbrijs aureis, varietatibus circumamicta? Psal. 44.
& à dextris adstiterit?
nonnisi in ultimis orbis Comitijs dirimenda est controversia.
Vestis altera assimilis fertur extitisse illi,
quæ in Coronationibus cæteroqui Gothicis suevit adhiberi.
O rerum humanarum ludibrium!
Ita nempe non alia fuit vestis, magnificè olim Coronati,
quàm luctuosè dein, à Libitina, diademate exuti.

 O si,

O si supremam hanc immaturi funeris vestem,
solenni Coronationis die
menti obversantem Carolus gessisset!
fortè Regiam Sueciæ Vestem seriùs positurus fuisset.
CAPUT REGIS NITEBATUR PULVILLO,
decoro aromatibusq; referto.
Et pulvillum verò tandem aliquando merebatur caput,
quod tot Coronarum ambitus adeò lassaverat.
Aromatibus tamen tantoperè non indiguisset,
si Christianus Rex
2. Cor. 2. melior *Christi odor fuisset.*
Cuius pulvillus ille fuerit pretij?
ex me, Viator, non quære.
Status enim meus prohibet me esse licitatorem.
Scio, magni sub hasta ab Augusto redemptum
illum pulvillum,
in quo Romani Equitis caput
tanto ære alieno grave
tam diu, tam securè, decubuerat.
Sed non grave minùs ab ære Carolo extitisse caput
exhausta facilè testabitur Suecia
& amica Gallia,
pro aperiendo, in subsidium pecuniarium, ærario
toties implorata.
ubi ad rationem reddendam ventum fuerit,
aliquam pulvinus iste securitatem
coram Supremo Quæstore præstiturus sit?
præsentis non est scrutinij.
Meo quidem, Viator, judicio,
Optimus & vitæ tempore & à morte pulvinus
Conscia Mens rectè factorum est.

§. XIV.

Constitutio Regni Suedici à morte Caroli.

DENIQUE, REGE DEFUNCTO,
Status Regni Suedici
scribuntur, *in bona* (ut vocant) esse *intelligibilia.*
Bene habet!
Si modò de ea verum id obtineat,

de qua

de qua votum illius est, qui ait:
Utinam saperent, & intelligerent, Deut. 32.
ac novissima providerent!
Ecce!
à triginta jam & ampliùs annis,
Suecia comparuit in omnibus novis.
Tempus foret,
ut pensare aliquando inciperet,
quomodo comparitura sit in novissimis.
Dicuntur tamen ijdem status,
Regium in eo non usque probâsse testamentum,
quod Fratrem Adolphum
constituisset à fato suo
Sueciæ Generalissimum.
Non tam commendabat in Principe,
Fratrem existere Regium,
quàm displicebat esse *Germanum*.
Adeò quicquid perfectè Germanum,
Calliditati Suedicæ est semper suspectum:
Regem tamen sanguine amaverat Germanicum,
posteaquàm consuetudine alterâ naturâ reddiderat suum.
Hactenus Viator de Politicis tantùm disservimus;
Quia tamen,
(ni fallor) uterque Christiani sumus;
& aliquas vita functorum sedes credimus,
quid bonorum illuc operum secum intulerit?
indagandi subit curiositas.

§. XV.
Merita Regis Christiana & Politica.

AH DE OPERIBUS, VIATOR CURIOSE, NE QUÆRE!
An enim nescis, Calvinistam Regem nulla admisisse?
Pro omnibus illi sola fides extitit;
quæ tamen, quia ferè tantùm humana,
infidè ad extremùm inhumaniterque hominem delusit.
Credebat potiturum se tot Regnis
salvum evasurum è prælijs.
At repentè, contra suam ipsius fidem, interijt.
Vides ergo,

quàm

quàm parum sola fides ad salutem prosit.
Quia tamen Rex Carolus Fuit;
quidquamné bono Politico?
Et quia simul Christianus,
An præstitit aliquid Nomine dignum Christiano?
Ordine, ut egit, retrogrado,
ita, Viator, Responsum accipito.
Faventior Illo In Christianum Nomen Tartarus!
Cum Christianis
nimio in Polonia Fortunæ pondere pressis,
pacem tunc iste amicam fecit;
cùm ille, jam in exitium lapsantibus
novâ belli mole hostiliter superingruit,
Leones in insignibus Suedicis gessit.
Non tamen leoninum illud prætulit,
Ovid. *Ut pugna haberet suum finem,*
cùm videret hostem jacentem.
Ubi ergo Leo generosè desinit,
ibi ille, à Leonina generositate degener, incepit.
Verùm, quid ego, Viator, coram te accuso Carolum,
ceu Christiano Nomini parùm benevolum?
Imò propalàm est,
Christianorum Regnum plurimùm amavisse,
quod tanto molimine suo studuit adjungere;
Quod ipsum tamen sperare non poterat,
nisi priùs omnem in Friderico adhuc superstitem
Christianorum & Christiernorum sanguinem
extinxisset.
Dixi Tibi Jam Viator,
Quid præstiterit Nomini Christiano.
Nunc accipe de Bono Publico.
Omnium illius meritorum hæc synopsis est.
Primus à Pace militem rursus Imperio intulit.
Quid meditaretur olim Libertati Germanicæ,
in Brema ostendit,
Novo belli ingentis apparatu vicinos omnes & dissitos perculit;
Ubi de terrore singulorum triumphaverat;
Ejecit Casimirum.
Oppressit Fridericum,
Cepit

Cepit Curlandum,
Tartaris reliquit, vix non ad Tartara misit
Transylvanum.
Ita novum coagmentavit terrestre bellum
Ottomannicum.

§. XVI.

De quibusdam Mortis Regiæ accessorijs.

SOLENT PRÆTEREA CLARORUM VIRORUM FATA,
varia, vel in Cælo, vel Elementis, ostenta,
seu præcedere seu comitari.
Quasi intersit totius Naturæ,
ut publicè constet magnum aliquem mori & cadere.
Scio multa, in ejusmodi casibus, fabulis subtexi solere,
Fides igitur penes famam sit.
Sub ipsam ferè, dissiti tot terrarum spatijs, obitûs horam,
non procul Gedano Urbe Prussorum Principe,
vastæ molis flammantem globum
Cælo decidisse accepimus,
Sonitu horrifico,
dissilientium globorum igniparorum fragorem,
(Granatas vocant) imitante.
Et vero globus ingens Fortunæ Carolus fuit,
tam sublimè in auras sublatus,
ut nisi illa jacturam vellet facere inconstantiæ,
tempus jam foret semel relabendi.
Sed neq; unam Globus iste
Tibi Urbs Gedanensis, cui semper inhiaverat,
nisi tempestivè dissiliisset, stragem parturiebat.
Ride jam inanè cadentem,
quæ non abs re trepidaveras,
ad sortem illique nimiùm excrescentem,
Tanti est non credere Fortunæ initijs,
at finem,
(tametsi cum dolore quandoque & patientia)
præstolari.
ULTIMÒ
An aliquid etiam Rex tam Potens,
supremâ voluntate moriens alijs legaverit?

Scire voles, Viator.
Dicam.
Regno suo calamitatem,
Solatia Hostibus,
Fortunæ de se ludibrium,
Posteris documentum,
Utinam nulli Ambitionis exemplum!

§. XVII.

Documentum à Mortuo Rege datum Posteritati.

IACET ERGO HÎC
(paucis concludam)
Serenissimus sine Luce;
Comes, sine Ducibus.
Dux, amissis plerisque Sortis suæ Comitibus.
Jacet Rex, sine sui Regimine;
Princeps Fortunatus, sine Felicitate,
Homo, jam sine mente;
Miser, sine commiseratione:
Christianus denique, sine Christina.
DOCUMENTUM CONSUETO MORE,
vel sic à muto & jacente,
Viator, adhuc præstolabere.
Efficaciùs enim loquuntur è rostris nulli Tullij,
quàm omni jam loquendi usu in tumulo destituti.
Et verò Carolus Gustavus
Rex fuit multorum,
& orbi, & regibus præsertim, documentorum.
Quantoque magis recentium,
tantò etiam post mortem vividiorum.
DISCITE ergò à SERENISSIMO CAROLO
SERENISSIMI,
Psal. 55. *ab altitudine diei non esse securi.*
DISCITE POTENTES,
A Potentia ad felicem exitum
non semper bonum esse argumentum.
Matth. 24. DISCITE PRINCIPES,
intervallo quàm modico, *primi à novissimis*, sint distantes.
DISCITE MAGNI,

Nul.

Nullibi quàm in Magnitudine ampliùs esse periculi.
DISCITE REGES,
Quàm arduum moderari sit Regnis, maximè repentinis.
Omnis enim dignitas insolita, insolentiam ciere est nata.
Aliis jam assuetioribus Fortunam modestiùs habentibus.
Utpote frequenti usu expertis, Geniū illius valde esse delicatum.
DISCITE FORTUNAE AMASII;
Nil formidabilius esse longâ Felicitate;
utpote, majori deinde mole, una vice sternente,
DISCITE DEMUM OMNES HOMINES,
In ipso tot dispositionum longè Progressurarum procinctu
sublatum Carolum, Sueciæ Regem aspicientes,
Cor hominis disponere viam suam, Proverb.16
Sed Domini esse dirigere gressus ejus.
Et quia gressuum hîc se intulit mentio,
Progredere jam per me licet, viator, & abi,
dum ritu tamen Christiano, egresso è vivis Carolo
bene preceris.
Neq; timeas, ne frustra id te jubeam agere,
memor nimirum,
Dominum etiam *pro transgressoribus rogavisse.* Esaiæ 55.

§. XIIX.
Author Hujus Elogii de Seipso.

TAm multa hactenus de Carolo familiariter egimus
Viator;
Scire voles jam forsitan, quî cum egeris?
Nationem quæris?
Natio mihi animus, *Germanus* sum.
Et quia omnes Viros honestos diligo,
etiam *Alemanus.*
Factionem nosse desideras?
Non hanc, sed facta attendere soleo.
Nec Turres mihi præfigo, nec Lilia,
nisi fortè, quòd istarum pluris æstimem,
quamvis subinde rigidam,
at solidam tamen, postremò Constantiam,
quàm illorum, primâ quidem fronte candorem,
attamen semper mobilem, & fluctuantem.

Et

Et quàmvis Auſtriacus non ſim,
Habac. 3. Id ſcio tamen DEVM *ab Auſtro;*
Hierem. 1. *malum* eſſe *ab Aquilone.*
De Religione ambigis?
Atheus non ſum
Et ſi priùs fuiſſem,
Vel ſolo Regis Sueciæ exemplo,
ut humanis præeſſe Numen aliquod crederem,
converſus forem.
Puræ Veritatis Sectator; non tamen *Puritanus* ſum.
Et licet in dictorum meorum fidem totum orbem conteſter,
non ſum tamen è cætu *Proteſtantium.*
Vertice non adamo Calvos, nec ventre Lutheros.
In Luthero diſplicet,
eò, quòd in Euchariſticum epulum requirit nimis multùm.
In Calvino, quòd nimis parum.
adeòq; Symbolam in id conferat, tantùm Symbolicam.
Si ex dictis inferas, me eſſe Catholicum,
tametſi concederem conſequens
negarem tamen conſequentiam.
Niſi fortè ſit quæſtio de voce?
Et *Catholicum* idem eſſe appelles;
quod *Univerſalem,*

Tu Viator,

QVantum è ſignis quibusdam advertere potui,
Francus es.
Et verò, niſi liberum
nulliq; exceptâ Veritate ſpeciatim obſtrictum te ſcirem;
tantâ libertate quædam apud Te dicturus non fuiſſem.
Viciſſim,
ſi volueris, vocare me poteris
ſeu Battum, ſeu Batavum.
jam Vale.
Loquebamur in portu Hafniæ.

FINIS.

1. Pax pax polono-svecica Olivae d. 3 Maja 1660
2 pax Germano-svecica Monasterii Westphalor. d. 24 pazd. 1648.
3 Pannonia perorata etc p Joh: Wolff 1652
4 De sacra corona regni Hungariae ortu etc Petri de Reva 1652



